

tantillùm imminuant quæ in variis terræ partibus sparguntur conchilia. Vide lib. cui tit. *Lettres américaines*, in quo de Buffonii systemate fusè disseritur.

ARGUMENTA

contra quartam propositionem.

OBJ. 1°. Judæi conspirare potuerunt simul cum Moïse in fingendis Pentateuchi factis, quippè quòd multa sint ipsis gloriosa. Quædam autem ingloriosa addiderunt, ut fides faciliùs huic libro conciliaretur.

R. D. ANT. 1°. Quia repugnet gentem integram in confingendo mendaciorum libro conspirare, uti videre est in probationibus. 2°. Dato judæos in animo habuisse quædam sibi ingloriosa miscere gloriosis, in faciliùs aliis factis fidem facerent, saltem tot opprobria, tot vitia, tot homicidia, tot adulteria, tot in Deum murmuraciones non memorassent. 3°. Quia judæi honoris causâ legi tam onerosæ nunquàm sese subjecissent; notum est enim omnibus plebem vitæ jucunditates et commoda gloriæ præferre. 4°. Quia innumera sunt momenta quæ hæc facta vera esse confirmant uti constat ex dictis.

OBJ. 2°. Hæreticis non creditur in factis quæ ipsorum erroribus favent; ergo nec judæis, quantum ad facta quæ in Pentateucho referuntur, fides adhibenda est.

R. DIST. Hæreticis non creditur in factis quæ ipsorum erroribus favent, quæ ab illis confingi potuerunt,

quæque nullis argumentis firmantur, concedo: aliter, nego. Admittimus traditionem judæorum circa facta Pentateuchi, quia hæc nec supponere nec fingere potuerunt, et quia argumentis certis demonstrantur, ut ex dictis liquet. Rejiciuntur autem facta quæ hæreticorum erroribus favent, quia hæc vera esse non ostendunt hæretici, illaque supponere potuerunt; ergo comparatio nulla. Si hæretici facta referant quæ firmis stabiliantur argumentis, nec supponi potuerint, lubenter hæc admittimus.

ARGUMENTA

contra quintam et sextam propositionem.

OBJ. 1°. Lib. 4. Reg. cap. 22, legitur Helciam in templo invenisse librum legis, ad cujus lectionem obstupuit, vestimenta que in dolore discidit Josias, cum vidisset quantum judæi à lege defecissent. Undè sic arguunt increduli. Si fuissent alia legis exemplaria, certè cognita fuissent Josiæ et Helciæ viris eximie pietatis: atqui tamen neuter librum legis agnoscebat, siquidem uterque ad hujus lectionem obstupuit; ergo nullum erat legis exemplar, præter illud quod ab Helcia inventum est. Jam verò, si aliud non fuerit exemplar, facilè ab Helcia et Josia adulterari potuit, vel integrum confingi. Ergo, etc.

R. 1°. Scripturam non asserere hoc exemplar unicum fuisse. Josias et Helcias obstupuerunt et flevērunt, non quia nullum aliud exemplar cognoscebant, sed quia illud exemplar erat speciali veneratione dignum,

propria manu Moïsis conscriptum, ut legitur lib. 2. Paralip. cap. 54, in quo idem factum commemoratur. Hoc exemplar in templo reconditum fuerat, temporibusque impiorum regum Manasse et Ammon neglectum fuerat et quasi deperditum, aut forsitan ab aliquo pontifice occultatum, ne ab impiis violaretur. Gratis ergo asseritur omnes legis libros fuisse deperditos, et unicum superfuisse illius exemplar. Id incredibile est omnino. Licet enim magna fuerit sub regibus Ammon et Manasse, qui antè Josiam regnavere, judæorum perversitas, plures tamen in religione majorum casti manserant, qui libros legis cum reverentia sine dubio servaverant. Aliundè, samaritani tunc jam disjuncti erant à judæis, suum Pentateuchum jam habebant. Tobias qui cum aliis israhëlitis tunc captivus omnium officiorum fuit observantissimus, procul dubio librum legis servabat. Ergo immeritò increduli contendunt Helciam et Josiam facile potuisse librum legis adulterare, eo quod unicum esset exemplar.

R. 2°. Illud exemplar, etsi unicum fuisset, tamen nec à Josia, nec ab Helcia vitiatum vel adulteratum fuisse. 4°. Quia de lege Moïsis et de factis saltem principis Pentateuchi mentio habetur in libris regum, Paralipomenon, Josue, Psalmorum, Prophetarum, Isaïæ, Jeremiæ, etc. qui sanè libri omnes à Josia et Helcia confingi non potuerunt. 2°. Quia impii reges qui Josiæ successerunt et idololatriæ fuerunt dediti, certè libri hujus recentiorem originem et suppositionem animadvertissent, ut suum delictum defenderent. 5°. Per regna Manasse et Ammon (quinquaginta

annos) non potuit penitus ex animis obliterari lex mosaïca; plures igitur fuissent qui reclamassent, si liber legis vel suppositus, vel quantum ad essentiam depravatus fuisset. 4°. Si Helcias et Josias hunc librum supposuere, quomodo igitur prænoscere potuerunt judæos deinceps à populis esse dispergendos, in captivitatem esse ducendos, suam ipsam progeniem esse devoraturus? Hæc enim omnia quæ post Helciam et Josiam contigere, in Pentateucho clarè prænuntiantur. Sanè hæc prædicere non potuerunt, nisi fuerint à Deo inspirati; à viris autem à Deo inspiratis fuisse confictos libros mendacis plenos, et legem à divina alienam fuisse suppositam dicere nefas est. 5°. Si hunc librum depravassent, tot judæis indecora et probrosa profectò sustulissent, etc.

OBJ. 2°. Lib. 4, Esdræ, cap. 14, legitur omnes libros in incendio hierosolymitano concrematos fuisse et ab Esdra post captivitatem reparatos. Ergo Esdras facile potuit libros legis vel supponere, vel saltem depravare, commenta plurima iis immiscendo.

Confirmatur argumentum eo quòd plures auctores tum antiqui, tum recentiores, v. g. Basilius, Optatus Milevitanus, Sextus Sinensis, et Pridauxius affirmant reverà libros legis ab Esdra fuisse restitutos.

R. 4°. Librum 4. Esdræ apocryphum esse, nulliusque auctoritatis vel ponderis, neque apud nos, neque apud adversarios.

R. 2. Prædictum Esdræ locum, citatosque ad confirmationem argumenti auctores eo sensu intelligi posse, quòd Esdras accuratorem Librorum Sacrorum editio-

nem confecerit, eo ferè modo quo Sixtus V. Sacros Codices restituit, Biblia recognovit et edidit; eo insuper sensu quòd Esdras Codices Sacros novis literis et characteribus diversis à characteribus antiquo quem servaverunt samaritani conscripserit, atque varia exemplaria ediderit ad usum templi in quo antiqua combusta fuerant.

Nec liber Esdræ citatus, nec quatuor autores appellati apertè dicunt omnia Sacrorum Codicum exemplaria fuisse combusta. De Sacris Codicibus generatim loquuntur. Porrò verba hæc de Scripturis in templo servari solitis intelligi possunt et debent. Si quidam dixerint omnes omninò Sacros Codices periisse et fuisse concrematos, audiendi non sunt, quippè qui invictis confutentur argumentis. Nam, 1°. certum est nunc fieri non posse ut omnes comburantur Sacri christianorum Codices. Ergo, pari jure, omnia Pentateuchi exemplaria concremari non potuerunt. 2°. Esdræ lib. 1. cap. 7. v. 12. in epistola Artaxercis, Esdras dicitur scriba legis Dei cœli doctissimus. Ergo legis exemplar Esdras præ manibus habuerat, ut nempè illud frequenter relegeret ac in ea lege doctus fieret. 3°. Daniel, cap. 9. qui tempore captivitatis scripsit, mentionem habet de libro legis tanquàm existente. 4°. Tunc sanè aderant samaritanorum exemplaria quæ profectò cum libris judæorum in templo comburi non potuerant. 5°. Josephus de Bello judaico, lib. 11. cap. 1. scribit prophetiam Isaïæ fuisse Cyro oblatam. Ergo non perierant omnes judæorum codices.

R. 3°. Quidquid sit, certum est Esdræ libros legis nec supposuisse, nec in rei substantia adulterasse.

1°. Quia Pentateuchus samaritanorum in illa hypothese deberet à Pentateucho hebræorum in rei substantia differre: atqui tamen res non sic se habet. 2°. Constat ex Aggæo post captivitatem seniores adfuisse qui primi templi gloriam viderant et qui proinde legem audierant; reclamassent igitur illi seniores et juniores quos edocuerant, nisi servata fuisset lex Moïsis illibata. 3°. Quia ex historia Susannæ, ex libro Esther, ex Daniele, et Ezechiele constat tempore captivitatis cognitam fuisse et observatam legem Moïsis; ergo si Esdras post captivitatem, illam immutare ausus fuisset, undiquè à judæis reclamatum esset. 4°. Si Esdras Pentateuchum supposuisset vel adulterasset, sanè decem celebres judæorum murmurationes, totque alia suæ gentis crimina ac opprobria prætermisisset. 5°. Moïsis, quem ut hebræorum legislatorum exhibet, homicidium et diffidentiam siluisset. 6°. Certum est nunc fieri non posse ut omnes depraventur divini christianorum Codices; nec fieri potest ut adulterentur Evangelia seu actus apostolorum; ergo pariter omnia Pentateuchi, quem judæi omnes præ manibus habebant, exemplaria non potuerunt adulterari. 7°. Esdras, ut in fine ipsius libri legitur, populum et levitas severè redarguit, ipsos ab uxoribus alienigenis separat, dura ab ipsis exigit, nemini indulget. Atqui tamen, si Pentateuchum et leges immutare aggressus fuisset, non ita sese gessisset, sed illis adulatus fuisset, ut ab ipsis non reprehenderetur. 8°. Esdræ dicendi genus ab orationis forma quâ usus est Pentateuchi autor valdè discrepat. 9°. Cùm lex mosaïca et præcipua Pentateuchi facta in psalmis,

prophetiis, et aliis judæorum libris Esdrâ antiquioribus legantur, non potuit igitur Esdras Pentateuchum adulterare, quin vel illos libros depravaret, iisque insereret facta quæ Pentateucho inserta fuissent, vel illos omnes supponeret: atqui nemo non videt hæc fieri minimè potuisse, tum quia illi libri ferè omnes facta prænuntiant quæ nonnisi post Esdras evenerunt, et quæ consequenter ab hominibus à Deo inspiratis, non verò à corruptore Sacrorum Codicum scripta fuerunt; tum quia unus vir tot et tam variis dicendi generibus scribere non potuisset, nec elucubrare opera tam dissimilia quæ necessariò autores ingenii diversi sibi vindicant.

OBJ. 5°. Ipsi sancti Patres, teste Morino, judæos arguunt Sacros Codices adulterasse. Ita Justin. Iren. Orig. Hieron.

R. DIST. Libros adulterasse in versionibus, concedo: in ipso textu, nego. SS. Patres versionem Septuaginta Interpretum unicè admittebant. Judæi verò Patribus objiciebant versiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quæ elucubratae fuerant ad confutandos Septuaginta Interpretes, quæque textui primitivo, versionique Septuaginta Interpretum ab omnibus Patribus admittæ, in multis contradicebant. Hinc judæi arguuntur à Sanctis Patribus Scripturas Sacras violasse, interpolasse, v. g. versionem Septuaginta Interpretum quam Scripturam appellabant, et quæ à judæis antiquioribus ipsis usque ad tempora christianorum maximâ veneratione habita fuerat.

OBJ. 4°. Dissentiunt eruditi in iis quæ ad chrono-

logiam veteris Testamenti spectant. Alii samaritanorum, alii hebræorum, alii Septuaginta Interpretum chronologiam admittunt. Unaquæque, illasâ fide, rejici potest tanquàm Sacris Codicibus superaddita. Jam verò, vitiari potuit Pentateuchus in aliis factis, sicut in calculis chronologicis. Ergo, etc.

RESP. 4°. Hoc argumentum nobis favere. Si enim chronologiæ vitium quod sanè magni non est momenti, quodque minùs debuit commovere judæos, quàm factorum præcipuorum depravatio, qualis, v. g. miraculorum additio, tamen statim cognitum est; si varii codices, si versiones in eo dissentiant, quantò magis igitur vitium innotesceret, si versaretur circa ea quæ præcipua sunt et maximi momenti! Quantò magis varii codices, varia exemplaria Pentateuchi dissentirent, si quidquam additum fuisset vel sublatum in iis quæ spectant ad miracula et alia facta splendida! Atqui in iis quæ spectant facta præcipua, miracula, etc. non dissentiunt varii codices; ergo in iis nullum irrepsit vitium.

R. 2°. Eruditi dissentiunt in iis quæ spectant chronologias Herodotis, Xenophontis, Diodori Siculi. Non dubitamus tamen de factis historicis quæ ab illis autoribus commemorantur. Ergo, pari ratione, mirum non est in computationibus hebraicis quamdam esse confusionem, nec idcirco de factis quæ in Pentateucho narrantur dubitandum est.

RESP. 5°. DIST. Vitiari potuit Pentateuchus in rebus levioris momenti, non ita omnibus cognitis, v. g. in calculis chronologicis, esto: in factis apertis, splendidi-

dis, omnibus cognitis, maximi momenti. v. g. miraculis, nego. Dixi autem, *esto*, quia in responsione sequenti ostendam chronologiam hebræorum veram esse, atque eam nullomodo fuisse vitiatam.

RESP. 4°. Chronologiam textûs hebraïci quæ consonat cum ea quæ in vulgata nostra versione legitur, nec fuisse Bibliis hebraïcis superadditam, nec vitiatam, hancque duabus aliis esse anteponendam. Id probatur, 1°. ex judæis qui maximâ religione suorum Codicum conservationi semper invigilarunt. Quomodò ii qui Scripturarum omnes literas numerabant, ne adulterarentur, hanc additionem passi fuissent? 2°. Cùm textus hebraïcus fuerit textus populi Dei, id est, populi qui erat divinarum legum et promissionum custos, existimo Deum non permisisse talem fieri additionem. 3°. Hæc additio vel depravatio difficilîus potuit in textu hebraïco irrepere quàm in aliis Codicibus et versionibus, quia calculi in Pentateucho hebræorum non characteribus numericis exprimuntur, sed integrè conseribuntur. È contrario cùm Septuaginta Interpretum versio calculos suos characteribus numericis exprimat, et cùm textus samaritanus fuerit in manibus schismaticorum, facillior fuit in illis duobus ultimis error, lubentiusque crediderim in iis vitium irrepisse. 4°. Contra chronologiam hebræorum nulla est difficultas quæ nostro judicio solvi non possit; uti ostendunt ipsius defensores. 5°. Cùm inter versiones et textum primigenium occurrit discrepantia quædam, sane textui primigenio standum est. Ergo servanda est textûs hebraïci potius quàm Septuaginta Interpretum chronologia. 6°. Vul-

gata interpretatio nostra in calculis cum textu hebraïco consentit. Porrò duplex auctoritas unicam superat. 7°. Concilii Tridentini auctoritas quod Vulgatam nostram versionem authenticam declaravit, ipsius textui et calculis majorem conciliat fidem quàm Septuaginta Interpretibus.

Hinc colliges meritò damnatam fuisse hanc abbatissæ *de Prades* propositionem in qua asserebat *nulla ex tribus chronologiis* Moïsen habere autorem, sed esse *systemata in ipsa Moïsis historia alienis manibus inserta*. Hucusquè inaudita fuit christianis illa propositio, veritati contraria, ut mox ostendimus, probando chronologiam hebræorum genuinam esse; periculosa, quia si absolutè concedatur triplicem chronologiam potuisse Sacris Codicibus superaddi, judæosque illud non impedivisse, exindè increduli accasionem sumerent concludendi multa alia potuisse superaddi, quanquàm tamen immeritò istud concluderent, saltem pro factis maximi momenti, præcipuis, notis, atque apud omnes pervulgatis, qualia sunt miracula.

Neque dicat abbas *de Prades* unamquamque ex illis tribus chronologiis licitè rejici posse, consequenter tres illas simul posse repudiari. Nam aliud est cum eruditissimis unam ex illis chronologiis rejicere, ob quosdam nævos qui in illa irrepissent vel amanuensium incuria vel alio modo; aliud est dicere cum abbate prædicto illas tres chronologias in integrum fuisse superadditas, et Moïsis historiæ alienis manibus insertas. Hoc ultimum est temerarium, periculosum, et à nemine christiano hucusquè dictum est.

OBJ. 5°. Singulis diebus apertum sit libros qui ut veraces et authentici habitū fuerant esse tamen suppositos, confictos, et ab autoribus quibus vulgò adscripti sunt minimè conditos. Tales sunt, v. g. Decretales. Ergo, pari ratione, etc.

RESP. N. CONSEQ. ET PARIT. Libri enim qui aliquandiu ut authentici habitū sunt, quique postea suppositi ab omnibus iudicati sunt, vel antea ab omnibus ut authentici non admittebantur: sic Decretales nunquam ab orientalibus admittuntur et à pluribus viris doctis inter Latinos repudiatae sunt; vel diu fuerunt occulti, sicut eadem Decretales quae per octo priora saecula fuerunt incognitae; vel non continent facta publica ex quibus pendeat totius gentis religio et regimen politicum; vel illi libri monumentis certis et ab aliis autoribus fide dignioribus confutantur; vel facta referunt quae non potuerunt evenire temporibus quibus evenisse referuntur; vel consuetudines et usus commemorant qui alterius sunt aevi, etc. Contra verò Pentateuchus ab omnibus, etiam à sectis inter se odio mutuo flagrantibus ut verax et authenticus semper habitus est; nunquam in occultis delituit, nec delitescere potuit; facta publica narrat ex quibus pendent totius nationis Iudaicae religio et societas, quae ab aliis historicis confirmantur, nedum infirmantur, quae innumeris et indubitatis monumentis innituntur. In illo libro omnia consentanea sunt consuetudinibus, locis, temporibus de quibus mentio est. Ergo, etc.

Et certè numquid Tullii, Titi-Livii opera rejicienda sunt ut supposita aut vitiosa, eo quòd libri quidam sup-

positi et vitiosi detecti sint? Non ita sanè; ergo, pari jure, Pentateuchus, etc.

Quaecumque ergo ab incredulis in libros Moïsis congesta sunt, eorum auctoritati et veritati nullam labeulam aspergunt.

ARGUMENTA

contra septimam propositionem.

OBJ. 4°. Facta quae ut miracula jactamus, causis naturalibus tribui possunt, proinde divinitatem legis Moïsaicae non probant. Tales sunt, exempli gratia, plagae Aegyptiacae, quae omnes saevienti pestilentiae quae afflicta est Aegyptus tribui possunt, vel aliis causis naturalibus. Ideò, v. g. in sanguinem mutata est aqua fluminis, quia colorata est per fluxionem sanguinis quae pisces, crocodili, et alia animantia tunc laborarunt. Illud autem sanguinis profluvium praecedentis pestilentiae fuit effectus. Foetor aquarum ranas, amphibium genus, in terras expulit. Muscarum et ciniphum multitudo magnae copiae ovorum in pulvere delitescens et à sole calefactorum tribui debet. Insecuta est pulveris pluvia in illis regionibus calore torrentibus non insueta. Pluvia haec ulcera procreavit in jumentis et hominibus, pestique attulit incrementum. Paulò post excutiunt procellae ingentem grandinem, quae sanè nihil miraculi habet. Ventus aestuosus locustas adduxit quae vento contrario sublatae sunt. Lues quae primum pisces, dein jumenta attigit, postea homines sustulit multos praesertim juniores quos primogenitos vocavit Moïses. Sanè

in his omnibus nihil est naturæ legibus dissentaneum , nihil miraculi. Moïses tamen potuit israelitis suadere hæc esse miracula , cum hæc non vidissent , et nihil ejus generis in terra Gessen quam habitabant , obtigisset. Ergo , etc. Ita Spinosa Tract. theolog. politic. cap. 9.

RESP. 1^o Etsi quædam plagæ ægyptiæ causis naturalibus adscribi possent , nihil quod noceat causæ quam defendimus indè colligi potest. Ut enim judæica religio divina comprobetur , satis est dummodò quædam miracula à Moïse patrata fuerint , necesse verò non est ut miracula sint quæcumque ab ipso peracta sunt.

RESP. 2^o Plagas ægyptiæ verè esse miraculosas , minimè verò effectus naturales. 1^o Illi effectus sunt miraculosi in se , nulla enim est causa naturalis quæ totius regni et ingentis fluminis aquas in sanguinem per multos dies colorare possit , eamque procreare ranarum , ciniphum , muscarum copiam quæ afflictata est Ægyptus. Assimile nihil unquam in orbe universo obtigit. Hoc est manifestè contrà consuetum naturæ cursum. Ab omnibus hominibus sanæ mentis ridebitur profluvium sanguinis quo pisces universos laborasse asserit Spinosa. 2^o Illi effectus sunt miraculosi ratione temporis ; si enim uno anno omnes istæ plagæ evenirent , sanè prodigium redolerent , quantò magis igitur , cum sex hebdomadibus , vel uno mense , hæc omnia contigerint. 3^o Sunt miraculosi ratione locorum ; cur enim terra Gessen in medio Ægypti posita ab istis omnibus calamitatibus immunis fuit ? 4^o Ratione circumstantiarum concomitantium , etsi enim concederemus quasdam ex illis plagis causis naturalibus tribui posse , tamen pro

certo habendum est causas naturales , non nisi jubente Moïse , vim suam exeruisse , et , eodem jubente Moïse effectum nullum habuisse. Certò constat illos effectus varios à Moïse , antequàm evenirent , prædictos fuisse , uti refertur in Exodo quæ , ex probatis , verax est ac sincera. Atqui hæc omnia sunt præter naturæ vires , divinamque virtutem arguunt. Ergo , etc.

Ad confirmationem , respondeo fieri non potuisse ut Moïses plagas ægyptiæ splendida esse miracula judæis omnibus suaderet , nisi hæc ita fuissent. Illa enim commemorat ut in eorum conspectu peracta , tanquam publica. Israelitas inter et ægyptios frequentissimum erat commercium. Judæi ægyptiis erant immixti. Terra Gessen in medio Ægypti erat posita. Potuerunt ergo israelitæ hæc omnia ab ægyptiis certò accipere : imò ipsissimis oculis conspicere ; nec sanè incuriosi neglexerunt ea perpendere et pensare prodigia , quæ à Moïse in liberationem gentis agebantur , atque ab ipso ut divinæ legationis signa proponebantur.

INST. Pharaonem et ægyptii hæc phænomena causis naturalibus adscripserunt , et illa ut divina non habuerunt ; aliòquin statim israelitas dimisissent , ergo reverà non sunt divina.

RESP. Equidem primum Pharaonem et quosdam aulicos dubitasse an isti effectus essent naturales , an miraculosi ; sed erravère ; nec illud mirum est , cum fuerint indurati , cum difficile sit persuadere principibus ea quæ eorum gloriam minuunt , et cum agrè videret Pharaonem gentem integram ex imperio facessentem. Verùm si ea prodigia à Pharaone et quibusdam ægyptiis

cùm primùm spreta fuerunt, fidem fecerunt apud israelitas omnes qui exindè Moïsis regimini et legibus sese submiserunt; fidem fecerunt tandem apud ægyptios ipsos qui erga israelitas tam munificos sese ostenderunt; apud regem qui ipsorum egressui consensit; apud magos qui exclamare coacti sunt, *digitus Dei est hic*; apud populos vicinos, v. g. gibeonitas qui his prodigiis perterriti israelitis sese subjecerunt. Ergo illa prodigia indubitata erant, conspicua, et evidenter divina.

INSTR. Magi Pharaonis suis artibus et incantationibus tria priora Moïsis miracula imitati sunt, scilicet converterunt aquam in sanguinem, virgas in serpentes, ranas procrearunt: atqui tamen virtute divinâ non agebant; ergo pariter Moïses qui probabiliter in arte incantatoria ipsis peritior erat, hæc tria miracula, necnon omnia alia prodigia quæ in Pentateucho leguntur, absque ullo divinæ virtutis adjumento, sed solâ arte et incantationibus effecit.

RESP. 4^o Licet magi artibus suis tria prædicta opera imitando effingere potuerint, non indè conficitur Moïsen, arte et industriâ, citrà divinam opem, eadem opera et alia omnia peregisse. Nam fortè magi in palatio pharaonis, in quo præstò erant multa ad decipiendum adjumenta; ad faciliorem Moïsis prodigiorum similitudinem accedere potuerunt, v. g. serpentem et ranas, simulata virgæ projectione, celeriter producere aquam in scypho contentam pulveris admixtione colorare. Hæc omnia in palatio pharaonis duntaxat, cùm adhuc sæviret à Moïse inflicta calamitas, magi peregerunt; consequenter aquam fluviorum in sanguinem

non immutârunt, sed tantùm parvam quantitatem in vase contentam. Mentè concipitur expertem circulatorem hæc posse peragere. Verùm evidens est solâ Dei virtute potuisse peragi quæ à Moïse perpetrata sunt. Illud constat, tum eo quòd serpens Moïsis serpentes magorum devoraverit; tum eo quòd in ipso palatio principis sanè regem, aulicos omnes et magos decipere non potuerit; tum eo quòd solus Deus possit universas magni imperii aquas in sanguinem convertere, primogenitos omnes unâ nocte mortì tradere, salvis aliis hominibus, etc. tum ex eo quòd ipsi magi hic digitum Dei agnoverint.

Magi dicuntur incantationibus suis fecisse sicut Moïses, non quòd eadem præcisè opera et miracula effecerint, sed quia Moïsen artibus suis imitari conati sunt. Non obscure significat Moïses illos eadem non fecisse, cùm ait *illos similiter fecisse* arcanis quibusdam et incantationibus.

R. 2^o. Si cum multis dicatur magos hæc effecisse non artibus suis sed diabolicâ virtute, perperam indè concluderetur Moïsen eadem virtute prodigia patravisse. Cùm enim prodigia quæ peregit, sint splendidiore, numero plura, nomine Dei unius facta, cùm innumeris divinitatis characteribus splendescant, ut jam exposuimus, sequitur illa soli Deo tribui posse, et blasphemiam esse hæc Dæmonum virtutibus adscribere.

OBJ. 2^o. Transitus maris rubri non est miraculum. Moïses enim æstuum maritimorum scientissimus elegit instans motûs reflui qui, adjuvante vento vehementi, aquas maris solito longius deportavit, sicque sicco pede

ultrà mare peritissimus ille vir israhëlitas transmisit. Aquas autem divinitus fuisse divisas iis facilè persuasit, præcipuè cum vesperè super arenam ambulavissent, et noctu hæc omnia agerentur. Sic, testibus Plutarcho et Strabone, Alexander tempore æstus maritimi mare Pamphiliæ cum suo exercitu trajecit. Ægyptii verò israhëlitas insequendi studio accensi, redeunte maris cursu aquis obruti sunt.

Artapanus Ethnicus scriptor quâdam memphitarum traditione innixus, rem istam ferè sic enarrat. Josephus hanc israhëlitaram transgressionem non magis demiratur quàm Alexandri transitum.

R. N. ANT. Nam, 1^o. Moïses qui, ex dictis, autor est veracissimus, stilo candido, stilo historico, figuris nudato refert aquas divinâ virtute fuisse divisas et instar muri eretas.

2^o. Israhëlitæ omnes hunc transitum semper ut grande prodigium habuerunt. Atqui tamen cum centies æstum maritimum vidissent, non potuerunt in facto antè oculos quotidie posito decipi, sicut hodie in facto consimili profectò non deciperentur populi maris accolæ et æstum maritimorum testes.

3^o. Si Moïses opportunitate æstus maritimi mare rubrum trajecerit, certum est, idque ab adversariis ipsis pro vero ponitur, hunc transitum non potuisse fieri nisi versùs istmum *Sues*, seu versùs illam partem quæ propè *Suem* erat. Atqui tamen istud impossibile fuit. Nam, juxta omnium viatorum relationes, mare recedens nonnisi trecentos passus versùs *Sues* per tempus brevissimum siccos relinquit. Hinc, calculo

inito, omnibusque temporibus et spatiis compensatis, ad summum spatium ducentorum passuum per sex horas exsiccatum manet, liberumque transitum permittit. Jam verò fieri non potuit ut intrà spatium ducentorum passuum per sex horas Moïses circiter duos hominum millones cum peccoribus, curribus, et ingenti supellectili ad littus oppositum transmiserit. Ergo, etc.

4^o. Sanè ægyptii non minùs quàm Moïses æstum maritimorum gnari erant, nec potuerunt hæc nescire quæ quotidie in suis littoribus contingebant; igitur finem æstus maritimi cognovissent, vel saltem suspicati fuissent; aliam æstus reciprocationem ad insequendos israhëlitas expectassent, nec sese mari tunc commisissent, nisi omnes amentes fuerint: quod dictu absurdum est, nec admittent adversarii.

5^o. Sacerdotes heliopoleos, licèt ægyptii, teste Artapano mox citato apud Eusebium, Præp. Ev. lib. 4. Ictyophagi occidentalis littoris incolæ, referente Diodoro Siculo, lib. 5, maris rubri à Moïse divisi memoriam tradiderunt.

Quantum ad ventum de quo loquuntur Deistæ, tunc referente Moïse, perflabat orientalis qui comparatè ad positionem israhëlitaram (vide Calmetum) præcisè maris recursum minuere debuit, nedum auget.

Ex his constat falsam esse memphitarum traditionem à prædicto Artapano laudatam.

Ex his elaret insuper magnum esse discrimen inter transitum maris rubri et transitum maris Pamphiliæ susceptum ab Alexandro, qui reverà, testibus historicis, opportunitate æstus reciproci usus est, et cujus

aliundè milites usque ad dimidiam partem corporis aquis immersi iter pergebant. Josephus dicit viam per mare patuisse, sive Dei voluntate, sive sponte naturæ. Ergo miraculum non negat, quanquam clarè non affirmet, ne scilicet paganorum odium in se et in suos concitaret. Reipsâ comparat transitum maris rubri cum transitu maris Pamphiliæ sub Alexandro, sed hunc ultimum transitum miraculum habet divinitus perpetratum, ut everteretur persarum imperium, prout decreverat Deus.

INST. Si aquæ divisæ fuissent, ægyptiî ulterius israëlitas insequi non ausi fuissent.

RESP. N. ANT. Nam columna quæ inter duo castra erat posita, israëlitis illucescebat, ægyptiis verò tenebrosa erat. Hinc aquas divisas et in murum erectas non viderunt ægyptiî. Judæos, duce tantum strepitu, Pharaonis exercitus ferens insequabatur, super arenas incedere existimabant milites, nondum se litus attingisse opinabantur, nec errorem agnovère nisi sub ortum fermè lucis et auroræ, quando nempè Deo à columna nubis tonante, ut habetur psalm. 76. fugati sunt et in undis consepulti sunt.

Aliundè obcæcati sunt ægyptiî; ergo, etc.

OBJ. 5°. Moïses, 4° detegere potuit aquas ope virgæ similis illis virgis ligneis, quæ telluri profundè infliguntur ad detegendas aquas. Omnes sciunt quàm apta sit ad hunc effectum virga vaticinatrix, quâ sæpissimè, ultimo sæculo, usus est Jacobus Aymar. Insuper, Moïses aquas invenire potuit, insejuendo gregem asinorum silvestrium qui, teste Tacito, fontes odore de-

tegunt. Ergo fons aquarum è petra saliens non est miraculum. 2°. Israëlita à morsibus serpentum intuitu ænei serpentis in altum erecti sine miraculo sanari poterunt nempè virtute talismatis (*talisman*). Sic Apollonius Thyanæus, teste Philostrato, urbem Antiochiam à serpentibus liberavit, serpentem in terram abscondendo. Sic, teste Strabone, Ophiogenæ solo tactu vulnera à serpentibus inflicta sanabant. Ergo, etc.

RESP. Ad primum. Moïses artem naturalem aquarum detegendarum nesciebat; siquidem Deum deprecatur, dubitans bis silicem percutit, ob dissidentiam à Deo punitur, et terrâ promissâ privatur. Ergo virtute divinâ aquas è petra eduxit. Aliundè petram percutit coram omnibus, statimque tanta aquarum copia diffundit se, ut universus populus, etiam jumenta, expleant sitim vehementem quâ conflictabantur. Quâ virtute, quæso, nisi divinâ, tanta aquarum copia statim et in conspectu omnium effluit? Quomodò fieri potuit ut omnis populus non agnosceret hunc fontem esse naturalem, si nihil in hocce eventu splenduerit miraculi? Quantum ad virgam Jacobi *Aymar*, sciunt omnes eruditi, idque fatentur adversarii, innumeras de illa narrari fabulas. Cæterum si quid sit in ea quod vires humanas superet, dæmonibus tribui debet. Vide D. *Lachambre* et Patrem *Lebrun*.

Ad secundum. Manifestum est israëlitas non sine miraculo potuisse aspectu serpentis ænei sanos fieri. Fictitiam esse Apollonii historiam et commentitia ipsius prodigia jam diximus. Fictitia sunt quæcumque de talismatibus memorantur; ut commenta ab omnibus eru-